



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm  
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

**Mayer, Christian**

**Coloniæ Agrippinæ, 1635**

3. De Lazaro languente mortuo. Luc. 19.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](#)

feruenti eximiae perfectionis studio  
præteriti temporis iacturam resarcire  
conando. Feruor in his Zachæum i-  
mitandi.

## De Lazaro languente &amp; mortuo. III.

Ioan. 11.

I. **L**azaro agrotante in Bethania, mo-  
nitus Iesus à sororibus eius Maria  
& Martha, curantibus illi nunciari: Do-  
mine, ecce quem amas infirmatur; respon-  
dit: infirmitas hæc non est ad mortem, sed  
pro gloria Dei: ut glorificetur Filius Dei  
per eam, & tunc mansti in eodem loco duo-  
bus diebus. Magna fuit sororum erga  
Christum fiducia, magna in ipsius be-  
neplacitum resignatio, confidenter  
illi solum insinuantium: Ecce quem S. Aug.  
amas infirmatur. Sufficit ut noueris, non 17. 4. 9. 17.  
enim amas, & deseris. Magnum item Ioan.  
fuit illarum gaudium cum audirent,  
hanc infirmitatem non esse ad mor-  
tem: & nihilominus pius Dominus  
permisit Lazarum mori, illas contri-  
stari: insuper distulit eas præsentia  
sua consolari: idque ex singulari a-  
moris erga eas affectu, & zelo ma-  
ioris gloriae Patris, maioris ipsarum,  
aliorumque profectus spiritualis. Di-  
stulit enim ideo illum sanare, ut posset

§s 4 resu-

resuscitare, & hoc miraculo plurimos  
in fide confirmare, simulque illarum  
fiduciam, patientiam, constantiamque  
probare, meritum augere, & maiore  
gaudio non opinantes cumulare. Eos-  
dem quoq; procedendi modum cum  
ceteris Electis seruare consuevit, quos  
ad insignem perfectionem & gloriam  
euchere statuit. Fiducia, amor, res-  
gnatio.

II. Biduo claps Christus Apostolis  
reditum in Iudeam denunciavit illos  
tergiuersantes: *Rabbi nunc querebant  
te Iudei lapidare, & iterum vadu illi*  
duplici ratione confirmat. 1. Quia  
vixi sunt duodecim horæ diei, ita ter-  
minus viræ, cuique à Deo est consti-  
turus, qui præteriri non poterit; vel  
quia interim Iudæorum odium potuit  
inter tot horas mutari, aut mitigari.

2. Quia si quis ambulat in die, non  
offendit, bene agens & sincerè coram  
Deo ambulans, non incurrit mortem,  
quamdiu eum seruare constituit diu-  
na prouidentia: Impius autem, ali-  
quando in pœnam peccati è medio  
tollitur, iuxta illud: *Viri sanguinum  
& dolosi non dimidiabunt dies suos.* Fidu-  
cia in aduersis, contemptus mortis  
pro gloria Dei.

III. Causa

Psal. 51.

III<sup>o</sup> Causam profectionis ipfis te etè  
primum insinuat: Lazarus amicus no-  
ster dormit; sed vado ut à somno excitem  
eum. Cumque id timore præoccupati  
non intelligerent, apertius quod insi-  
nuarat explicat: Lazarus mortuus est, &  
gaudeo propter vos ut credatis, quoniam  
non eram ibi. Sed eamus ad illum. dixit  
ergo Thomás ad condiscipulos: Eamus &  
nos, & moriamur cum illo: quam pater-  
nè pius Dominus discipulos vacillan-  
tes erigit, rudes instruit, imperfectos  
tolerat, timidos animat, idq; quanto  
zelo eos feroce charitatis, & amore  
crucis inflammandi, ut cum Thoma  
ad ardua quæq; subeunda, & mortem  
ipsam pro gloria Dei opetendam, se  
offerre non dubitarent. Amor Dei,  
zelus ardua quæque pro eius gloria  
faciendi & patiendi.

De eodem Lazaro resuscitator: ibid. IV.

I. Iesus priusquam suscitet Lazarum,  
probat & corrigit Marthæ sibi  
occurrentis imperfectam fidem, quam  
prodit dicendo: sed & nunc scio, quia  
quacunq; poposceris à Deo, dabit tibi Deus,  
quasi ipse non posset vitam conferre  
per se, sed tantum precibus obtinere,  
cum tamen ipse esset Deus. Ideo re-

Ss 5. spon-